



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

VI. Quænam sit totius Fidei resolutio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

judicet, hanc vel illam Traditionem esse Divinam: quod quidem patere potest vel ex definitione Ecclesie facta in Concilio Generali, aut per Summum Pontificem loquentem (ut ajunt) ex Cathedra; vel si unanimis consensus SS. Patrum, & Doctorum id reitetur.

Traditiones Divinas.

QUESTIO VI.

Quanam sit totius Fidei Resolutio?

30. **A**dvertendum, quod *Resolvere Fidem* aliud non sit, quam ordine retrogrado ea, quibus ad actum Fidei pervenimus, relegendo investigare principium seu motivum primum, cui totius Fidei certitudo innititur. Quando enim interroganti redditur ultima ratio nos movens ad actum Fidei, & ad quem nulla alia nos movit, tunc Fides nostra ultimò resolvi dicitur; ac proinde ibidem standum est, ne detur processus in infinitum. Hoc prenotato sic

51. CONCL. I. Loquendo de Resolutione Fidei in objectum suum formale, sic Fides Divina à priori & ultimà resolvitur in primam veritatem, seu veracitatem Dei nobis revelantis. Ita Doctor noster in 3. dist. 33. estque communis Theologorum. Ratio est; quia objectum formale, & motivum Fidei supernaturalis, est prima & infallibilis veracitas Dei, seu veritas ipsius in revelando, ut dictum superius (b) & consequenter in eam Fides Divina à priori ac ultimà resolvitur. Unde si quæras, cur credam Mysterium SS. Trinitatis? Resp. Quia Deus hoc revelavit. Si rursus quæras, cur credam Deo revelanti? Resp. Quia Deus est prima Veritas, quæ nec fallere potest, nec falli. Et hic datur status in assignanda ratione Fidei supernaturalis, & à priori.

52. Si dicas. Deus est prima veritas in revelando ratione Deitatis; ergo Fides ultimà resolvitur in Deitatem, utpote ratione cujus competit Deo infallibilis veracitas. Resp. negando consequentiam: etsi enim veracitas resolvatur in Deitatem tanquam in rationem essendi, non tamen resolvitur in eam tanquam in rationem formalem credendi: hæc enim potius sistit in ipsa veracitate, quia Fides non attendit, unde ista veracitas Deo competit. Hinc in 2. de Fide, quest. 3. num. 11. Vel dic cum alijs, distinguendo consequens: ergo Fides ultimà resolvitur in Deitatem materialiter, sive in sensu reali, conceditur;

Resolvete Fidem, quid?

Resolutio Fidei à priori, sit in primam veracitatem Dei nobis revelantis. (b) Dist. 2. quest. 1. n. 8.

An resolvatur ultimà in Deitatem?



formaliter, seu tanquam in rationem formalem credendi, negatur consequentia.

Instantia de
circulo Pro-
ponitur,

53. Neque dicas, prius datam responsionem non sufficere, cum ulterius quæri possit, cur credam, hoc Mysterium SS. Trinitatis Deum revelasse? Neque respondere juvat (inquies) quia in sancto Evangelio sic scriptum habetur: nam urgetur, quærendo, cur potius credam Evangelio S. Matthæi &c. quam Evangelio Nicodemi, vel Nazaræorum, vel hujusmodi? Quod si cum S. Augustino *lib. contra Epistolam Manichæi, cap. 5.* dicam, Evangelio S. Matthæi credo, quia me Catholicæ Ecclesiæ illud amplectentis, atque à Deo revelatum esse attestantis, & veluti Fidei Divinæ credendum proponentis, commovet autoritas; non sic Evangelio Nicodemi, vel Nazaræorum, aut alijs ejusmodi scripturis, cum non sic ab Ecclesia admittantur. Rursum urgebis, quærendo, cur credam Ecclesiæ? Et si hujus infallibilem autoritatem ex S. Evangelio probare quis conetur, replicabis, hic committi circulum vitiosum, probando S. Scripturam per autoritatem Ecclesiæ, & hujus autoritatem vicissim probando per S. Scripturam.

Et solvitur.

54. Ad hanc instantiam, quæ in quacunque sententia urget, Respondetur negando assumptum, vel potius suppositum totius discursus: nam dum quæritur, cur credam, Deum hoc revelasse, non amplius petitur ratio à priori, seu causa formalis & motiva credendi Mysterium à Deo revelatum; sed petitur ratio à posteriori, seu quoad nos ipsius revelationis factæ. Porrò hæc duo, ut patet ex terminis, sunt valde diversa: & primum quidem spectat ad Motivum formale Fidei, posterius verò ad Motiva credibilitatis Fidei. Quod ut melius intelligatur, sit

Motiva credibilitatis
Fidei, quæ?

55. CONCL. II. *Motiva credibilitatis Fidei* dicuntur ea, propter quæ moraliter fit evidens, quòd Mysteria nostræ Fidei sint à Deo revelata, & consequenter propter infallibilem ejus veracitatem credibilia: juxta quod *Psal. 92.* dicitur: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Porrò hujusmodi Motiva Doctor noster *Subtilis quæst. 2. Prologi, §. Contra omnes istos,* & seqq. ad octo capita aptè reducit; quæ sunt, Prænunciatio Prophetica, Scripturarum concordia, Autoritas scribentium, Diligentia recipientium, Rationabilitas contentorum, Irrationabilitas singulorum errorum, Ecclesiæ stabilitas, & Miraculorum claritas. Et propter hujusmodi Motiva credibilitatis, Mysteria Fidei fiunt
evi-

evidenter credibilia, hoc est evidenter digna, quod credantur esse à Deo revelata, prout tradit Ecclesia Catholica.

56. Nec dicas. Omnia ista Motiva sunt humana, nobisque innotescunt merâ fide humanâ, utputâ per libros, narrationem Seniorum, prædicationem Parochorum, vel dictamen rationis naturalis: atqui Fides Divina resolvitur in talia Motiva; ergo sequitur, eam resolvi in mera Motiva humana, quod est absurdum. Resp. enim, quidquid sit de majori, negando minorem: quia ipsa Fides Divina non resolvitur in talia Motiva, tanquam rationem formalem & ultimam credendi, sed judicium duntaxat credibilitatis objecti Fidei. Nam quia Deus regulariter non loquitur immediatè nobis singulis, hinc assensus fidei supernaturalis ordinariè non fit, nisi præviâ fide humanâ, qua quis prius credit suo Prædicatori, vel Ecclesiæ (quam per suprâ dictas Notas, veram esse Ecclesiam Christi agnovit) proponenti Mysteria Fidei, atque testificantis, ea esse à Deo revelata, juxta illud Rom. 10. *Fidei ex auditu.* Hoc autem semel supposito, intellectus fidelis ac persuasus, talia esse à Deo revelata, totum se convertit in ipsius Dei veracitatem, ac propter istam unicè per actum Fidei supernaturalis assentitur Mysterijs veræ Fidei.

57. Hoc ipsum amplius declaratur ex eo: quia actus Fidei supernaturalis non est merus actus intellectus, sed ad eum etiam prærequiritur actus voluntatis, imperantis assensum Fidei propter infallibilem veracitatem Dei revelantis. Siquidem actus Fidei Theologicæ sunt liberi (alioquin enim meritorij non essent) ac proinde non præcisè consistunt in actibus intellectus, quæ est potentia naturalis; sed insuper ad eos requiritur pia affectio supernaturalis voluntatis, qua isthæc, propositis sibi Mysterijs divinitus revelatis, ipsisque Motivis credibilitatis Fidei, liberè cooperando Divinæ gratiæ excitanti, & adjuvanti, propter infallibilem veracitatem Dei revelantis firmissimè assentitur ejusmodi Mysterijs, credendo vera esse, quæ Deus nobis revelare dignatus est. Quod ipsum apertius docet Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 6 ibi: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati gratiâ Divinâ, & adjuti fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt.* Et hinc fit, quod auditâ eadem veræ Fidei prædicatione quidam credant. alij non: quia nimirum illi gratiæ Divinæ excitanti, & adjuvanti liberè cooperantes, suo intellectui imperant, simulque eliciunt actum Fidei supernaturalis, non verò cæteri.

D d 3

58. Huc

Propositio
damnata
referatur, ac
reiciatur.

58. Huc facit novissimum Decretum Innocentii XI. inter alias Propositiones sequentem, ordine 19. damnantis: *Voluntas non potest efficere; ut assensus Fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* Et merito hæc Propositio damnatur: siquidem intellectus ex vi objecti propositi non necessitatur ad assensum, nisi ubi adest evidentia veri: atqui in objectis Fidei non adest evidentia veri (nam *Fides, est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, Hebr. 11.) ergo ex vi solius objecti, intellectus nunquam necessitatur ad assensum Fidei; & consequenter ad hunc determinari debet per imperium voluntatis: quale imperium potest esse firmitus, quam sint pondera rationum, propter infallibilem Dei revelantis veracitatem.

Alia duæ
propositio-
nes damna-
tæ quæ ad
propositum.

59. Quantum ad præsentem de Fide materiam, sunt insuper cavendæ aliæ duæ Propositiones, itidem ab Innocentio XI. damnatæ. Earum prior, ordine 20. sic sonat: *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.* Altera verò, ordine 21. ita docuit: *Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis; imò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.* Ambæ Propositiones, sicut jacant, damnatæ sunt, ac proin vitandæ.

DISTINCTIO IV.

De vitijs Fidei oppositis,

QUÆSTIO I.

Quotuplex, & quàm grave peccatum sit
Infidelitas?

Infidelitas
aliam positi-
vam, aliam ne-
gativam.

1. **I**nfidelitas hic sumitur, prout est opposita Fidei Theologicæ. Et hæc generatim est duplex: una positiva, qua aliquid creditur contrarium Fidei; qualis est in Hæreticis, Judæis, ac Ethnicis adultis. Altera negativa, quæ est absentia, vel carentia Fidei; qualis habetur ab ignorantibus Mytheria veræ Fidei.

2. Ultra-